



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt LXIII. S. Martini de Campis monasterium, in vrbe Parisiensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

gregatio Cauensis, illo in tractu olim celebris. Vide Vvionum Lib. 5. Ligni Vitæ cap. 11.

## CAPVT LXIII.

*S. Martini de Campis monasterium, in vrbe Parisiensi.*

**H**enicus eo nomine primus Rex Gallix anno 1056. cœpit instaurare ac reedificare monasterium *S. Martini de Campis*, tunc extra, nunc intra muros vrbis Parisiensis situm: vt Guilielmus Nausiacus in sua Chronographia, & Gaguinus lib. 5. testantur.

1056.

Anno 1060. diploma dedit, in quo hæc inter alia leguntur. *Ante Parisiacæ vrbis portam in honore Confessoris Christi Martini Abbatia fuisse dignoscebatur, quam tyrannicâ rabie (quasi non fuerit) omnino deletam ab integro amplioem restitui, Canonicos regulari conuersatione ibidem Deo famulantes attitulauit: Et paullò post; Canonici etiam hanc potestatem habeant, vt Abbate obeunte, assensu fratrum, boni testimonij virum, nemine perturbante restituant.* Ex his constat ante Henrici I. tempora fuisse hoc in loco monasterium Abbatiale, quod cum instaurandum curasset, Abbatem & canonicos regulares ordinis S. Augustini in eo collocauit.

1076.

Hos, anno 1079. amouit *Philippus* I. Rex Henrici filius, & monasterium ipsum S. *Hugoni* Abbati tunc Cluniacensi subiecit. Atque ex eo tempore Martinianum hoc monasterium coepit esse Prioratus à Cluniacensibus dependens. De monasterio isto plura qui uolet, legat librum cui titulus *Martiniana*, Parisijs sine nomine auctoris, anno 1606. excusum, & *Jacobum Breulium* libro de Antiquitatibus Parisiensibus,

## CAPVT LXIV.

*Grandimontensis Abbatia, in d. Lemonicensi.*

**P**ost reformationem Cluniacensem annis ferè centum, surrexit, & alia ordinis monastici in Gallia, restrictio, à monte, in quo inchoata est, *Grandimontensis* uocata. Hæc agente S. *Stephano* Abbate, legitur propagata, Natus *Stephanus* in Aruernia nobilibus parentibus, patre *Stephano*, Mureti oppidi domino (quod est in suburbano Lemonicensi, à quo & familia Mureta, ut refert, *Franciscus Bencius* in laudatione funebri M. *Antonij Mureti*, nomen accepit) ad *Milonenem Beneuentanum* Archiepiscopum, in lege Domini, & monastica disciplina, erudiendus missus est. Hic spatio duodecim annorum probè edoctus & instructus cum fuisset, desiderio